

rentis, dum eandem aperto rictu petit, veram carnem simul cum imagine perdit.

§. XXXVI. Heic quaeres: si omnes, qui in Ecclesia sunt, *sacerdotes** sunt, quo nomine discernuntur ii, quos nunc sacerdotes dicimus a Laicis? Respondeo: Vocabulis istis, *sacerdos*, *clericus*, *spiritualis*, *ecclesiasticus*, iniuria facta est, dum a reliquis Christianis *omnibus* translata sunt ad *paucos* istos, qui nunc vsu noxio dicuntur ecclesiastici. Scriptura enim sancta nihil discernit inter eos, nisi quod ministros, seruos, oeconomos appellat, qui nunc Papae, Episcopi Dominique iactantur; qui ceteris seruant ministerio verbi, ad docendam fidem Christi, & libertatem fidelium. Nam et si verum est, nos omnes aequaliter sacerdotes esse, non tamen possumus, nec, si possemus, debemus publice omnes seruire & docere. Sic Paulus I. Cor. IV. *Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

* Seckend. L. 1. hist. Luth. §. LXIX. f. 100. (1. 4. 5.) f. 144. (b) & in indice III. ad A. 1520. n. II. suppl. (3) f. 149. (f).

§. XXXVII. At dispensatio ista nunc in tantam pomparam potestatis & terrificam quandam tyrannidem euasit, ut nec gentium, nec vlla mundi imperia queant ei conferri, quasi laici aliud quidquam quam Christiani sint. Qua peruersitate factum est, ut penitus interciderit scientia Christianae gratiae, fidei, libertatis, & totius Christi; succedente in eius locum *humanorum** operum & legum intolerabili captiuitate: Facti sumus iuxta lamentationes Ieremiae serui hominum vilissimorum, qui in terra sunt, qui nostra miseria abutuntur in omnes turpitudines, & ignominias voluntatis suae.

* Infra §. LXX. (sq.) praecauetur malum, quod ab altera parte eritur.

§. XXXVIII. Redeundo ad id, quod coepimus, puto per haec clarum fieri, *non esse satis* nec Christianum, si Christi opera, vitam & verba prædicemus *historico more*, ceu res quasdam gestas, quas nosse satis sit ad vitae formandae exemplum, quomodo ii, qui nunc optimi sunt, prædicant:

Mul-